









1783.

1. Lentin, Joannes Adolphus Hugo Fredericus: De resti-
tutione ex capite justitiae in causis criminalibus.
2. Schorch, Hieron. Frederic, Facult. juris Decanus:
... solennia inauguralia ... Jo. Adolph. Hugo
Frid. Lentini ... indicit praemissa Disquisitione
de retracta rei singularis ex pluribus pluribus
simul uno pretio venditis.

1784.

- Schorch, Christian Freder. Praeses.
1. Weissenborn, Joannes: (Facult. juris Decanus:
solennia inauguralia ... Joanni Weissenborn
... indicit de dominio eminentiae ejusque Limitibus
praefatus.
 2. Weissenborn, Joannes: Praesentia juris publicae
momenta.

1785

Pet.

1. Agricola Petri.: De historia ecclesiastica studio juris ecclesiastici consocianda programma, quo praedicationes suae per aetatem b. a. habendas. indist.

1786.

1. Agricola, Petrus Franc.: Positiones jur. utr. selectae
2. Bachmann, Franciscus Mauritius, Facult. juridicae decanus: solennia inauguralia ... Petri Francisci Agricola ... indist simulque de forma imperii Rom. Germanici ex jure publico nonnulla praemittit.
3. Weber, Christ. Guet: De cessionario privilegiato et usum privilegiorum suorum abutendo, nec non de jure pignoris feudalis in causis quorundam illustrii constituti primum, deinde cessi, tum in disceptationem vocati atque contentiosam responsorumque veritati ac dissentioni subjecti

1787.

1. Schorch, Joanes Godfredus ; Facult. juridicae Decanus :
solemnia inauguralia . . . In Joannis Godfredi Schorch
- - - indicit.
2. Schorch, Christiana Friedr. Hermann ; Facult. juridicae
Decanus : - - solemnia inauguralia - - - Fr. Adelphi
Richard . . . indicit praemissa disquisitione :
an rationario et administratori in fructu residuo,
quod vocamus, activi (Actio. Receß) jurisdictionis
hypothecae competat ?
3. Schorchius, Christ. Frid. Hermann : Generalia de cita-
tione in terris Saxoniacis praecipue usitata.
4. Schorch, Christiana Friedr. Hermann : De Tomatione
propter nuptias ejusque specificatione origine.

1788.

1. Bachmann, Haue Godfredus : Facult. juridicae Decanus ;
solemnia inauguralia . . . Haue. Godfredi Warschmitt

1788.

indicti simulque de iudice causarum fiscalium
normalla praemittit.

2. ¹⁷⁸⁸ Würtzschmitt, Franciscus Godefridus: De successione monia
in hereditatem paternam monasterio suppresso.

1790. Schütz von Helyhausen, Friedrich August: Von den Rechten
des Ritters-Vereines, besonders aber, von dem künftigen Rechte
eines Bottschafters zu den Wahlen geistlicher Fürsten

2. 2. 1791, 1-2.

1792.

1. Bachmann, Franciscus Mauritianus, Fac. iur. Licet Deca

23. 4. 5. . . . solennia inauguralia ad. caus. Saborn.

(Johanni Hieronymi Schäfer, Joanni Jacobo Francisci Fuchs
meister, Ludolpho Henrico L. Lien, Jo. Henrico Koch, Antone
Christophori Apell, Johanne Henrico Schulze, Georgio Edu-
ardi Kaebler, Henrico Kimpel, Francisci Valentini Baud
Georg. Philippo Ingelhardt, Ferdinando Philippo Lischman
Aloysio Fromm, Antonio Orth, Franc. Maring. —
indicti simulque normalla de regala acquiescentis etc.).

art. V. Inst. P. l. praemittit.

1793, 1. 2.
1795.

Kopp, Carolus Ludovicus: De eo, quod justum est
circa religionis mutationem in imperio

Schorch, Carol. Frider. Immen. Facult. juridicae decanus:
... solennis inauguratio ... Dr. Caroli Ludovici
Kopp ... insidit. Tract. jurium donationis propter
nuptias historice delineatorum part. II.

1796.

Bachmann, Franc. Mauritius, Facult. juridicae decanus
solennis inauguratio ... Dr. Joan. Mariae
Gottfridi Kumpisch insidit. ... praemissa disquisi-
tione: num jus primus praebes Caesareis quoniam
sunt praebendae ad primum beneficium praecau-
tione domicellibus ordine prioribus in ecclesia,
cujus capitulum est classum?

1796

2. Bachmann, Henr. Mauritian, Facult. juridicæ
Decanus sollemnia inauguralia . . . Dr. Henr. Ferd.
Christiani Vögel . . . indicis simulque nonnulla de
fatis concordatorum Germaniae in ecclesiis pro
testantium præfatur.

1797.

1. Reddersen, Johannes Christianus: De onere probandi
in actione negatoria et in specie, si res in quasi
possessione servitutis præteritæ constitutus sit
2. Weissmantel, Dr. Julius, Facult. juridicæ Decanus:
. . . sollemnia inauguralia . . . Dr. Johannis Christ.
Lauri Reddersen . . . indicis, simulque de servitute
præterita sub lege retrovenditionis possessio, æqui-
tate, quædam præfatur.

1798.
1801.

- Zunnsiegel, Dr. Theophilus Ludovicus: De censibus,

in quibus in causa civiti delatis juramenti cessat.

1809.



21
1787/13
Q. D. B. V.

11
**GENERALIA DE CITATIONE
IN TERRIS SAXONICIS
PRAECIPVE VSITATA**

SVB PRAESIDIO
PERANTIQUAE VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
RECTORIS
AC FACVLTATIS IVRIDICAE DECANI
Dn. CHRIST. FRID. IMMAN. SCHORCHII
MEMORATAE FACVLT. ASSESSORIS ET DECRETAL, PROFESSORIS
PVBL. ORDINAR.


P. 462.
PRO LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE
HONORES CAPESSENDI

HORIS CONSVETIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES GODOFREDVS AVSTER
ZITTAV. LVSAT. SVPER.

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI
DIE VIII. OCTOBR. MDCCLXXXVII.

ERFORDIAE
LITERIS NONNIANIS.



G. D. B. V.

GENERALIA DE CITATIONE
IN TERRIS SAXONICIS
PRAECIPVE VSITATA

SUB PRAESIDIO
PRAEFATIONE UNIVERSITATIS REFORMATAE
RECTO RIS
AC FACULTATIS IURIDICAE DECANI
DR. CHRIST. FRID. IMMAN. SCHROCHII
MEMORATAE FACULT. AUSTRIACAE ET SACCALAE, PRAEFATIONE
VASE. DECANI.

PROFICIENTIUM SUMMAE REPUTATIONE
HONORIS CAESARIS

BOLEAE CONSVLTI
VALICE DEIBET

A V C T O R

IOANNES GODOFRIDVS VSTER

LIBRARY, LEIPZIG, 1872

IN AVSTROIA ICTORIA MAIORI
DIE VIII OCTOB. MDCCCLXXVII

ESTORDIAE
SEPTIMO MONTANO



MAGNIFICO
ATQVE
AMPLISSIMO
SENATI
CIVITATIS
ZITTAVIENSIS

SACRVM

MAGNIFICO

ATQUE

AMPLISSIMO

SENATI

CIVITATIS

SINATENSIS

MCM

IN HOC SENATUS CIVITATIS
MCM

VIRI MAGNIFICI,

EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI,
PATRONI SUMME DEVENERANDI!

Nullam occasionem mihi optatiorem ad
maximas, VIRI MAGNIFICI, gratias,
3
easque

easque debitas in conspectu omnium agen-
das nancisci possem, nisi hanc, qua mihi est
permissum, libellum ad capeffendos in vtro-
que Jure honores summos scribere eumque
Vobis consecrare. Hoc tantummodo mihi
terrorem iniecit, an hoc argumentum huius
libelli ea doctrina sit traditum, vt eiusmodi
VIRI iurium peritissimi lectu dignum eum
censeant. Sed cum Vestra peculiaris Indul-
gentia iam mihi cognita atque perspecta sit,
ea fretus atque innixus, omnem metum at-
que terrorem abiicio. Accipiatis igitur, VI-
RI MAGNIFICI, SVMMOPERE COLENDI, hunc
libellum pro viribus meis iisque exiguis
scriptum, tanquam documentum reueren-
tiæ atque pietatis Vobis debitæ, videbitis,
me immemorem huius beniuolentiæ atque
gratiæ

gratiæ nunquam futurum. Debitas summas-
que Vobis VIRI Excellentissimi, reddo
gratias, pro beneficiis, quibus me per tempus
vitæ meæ academicæ ornauiſtis, DEVM
optimum maximum enixe rogo atque
precibus meis efflagito, vt VOS, VIRI MA-
GNIFICI, Patroni ſumme colendi, ad ſeros
vſque annos conſeruet in ſalutem eius ciuita-
tis, quæ ſub Veſtro regimine, reparatis
per Veſtram ſingularem curam iis damnis,
quæ inde a multis annis Patriæ ſuauiſſimæ
per bella atque incendia inflictæ ſunt, floret
& creſcit. Nihil adhuc amplius in optatis
meis poſitum habeo, niſi hoc, vt me etiam
impoſterum Beniuentia Veſtra amplecti
velitis, tantæ Gratia ad vltimum vitæ meæ
vſque

vsque halitum non immemor ero; & sic
valeatis semperque faueatis

**TANTORVM NOMINVM
VESTRORVM**

**DAB. LIPSIÆ
MDCCLXXXVII.**

ADDICTISSIMO CVLTORI ATQVE CLIENTI

IOANNI GODOFREDO AVSTER.

DISSER.



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
GENERALIA DE CITATIONE IN TERRIS
SAXONICIS PRAECIPVE VSITATA

SISTENS.

CAP. I.

HISTORIA CITATIONIS TEMPORIEVS NOSTRIS VSITATAE.

§. I.

Origo Citationis,

Citatio, nostris temporibus quæ obtinet, partim ex iure ciuili, partim canonico, partim Doctorum interpretamentis orta, nouaque quasi forma induta est. Iure Romano veteri differentia erat inter in ius Vocationem &

A

Cita-

Citationem. Illa fiebat ad Prætorem, hæc ad Iudicem pedaneum; illa a priuato actore fiebat, hæc per vocem præconis. Sed de in ius vocatione eiusque indole prius, quam ad nostram hodiernam Citationem veniamus, quædam præmittere constituimus.

§. II.

Descriptio in ius vocationis.

In ius vocare est iuris experiundi causa ad locum, quo Prætor ius dicit, vocare. *l. 1. ff. de in ius vocat.* Actor igitur, qui aduersarium conueniendi animum habuit, eum obuium vocabat in ius ad eum, qui iurisdictioni præerat, i. e. ad Prætorem. vt cognita aliquo modo causa formulam conciperet iuxta actoris petitionem, & partes ad iudicem datum mitteret. In ius vocatio ergo non fieri poterat ad iudicem Pedaneum, sed tantum ad eum, qui præerat iurisdictioni, in lege enim 3. §. 1. ff. *Si quis eum, qui in ius vocab. vi exim.* expressis verbis scriptum est, si quis in ius ad Pedaneum iudicem vocatum vi eximat, pœnam Ediçti cessare. Si quis illum vi exemerat, qui ad Prætorem erat vocatus, exemtor quadam pœna constituta afficiebatur. Vocare autem potest, quisque legitima in iudicio standi gaudens persona, siue sit persona singularis siue respublica, vel vniuersitas, constituto scilicet actore, per eos, qui vniuersitati præsunt.

3

sunt. l. 2. 3. 6. 7. ff. quod cuiuscunque Vniuers. nom. vel con-
tra eam agat.

§. III.

De formulis solemnibus in ius vocationis.

Occasione huius in ius vocationis, Romani quibusdam
formulis solemnibus vsi sunt, e. g. In ius eamus: in ius
veni: sequere ad Tribunal: ambula mecum in ius. BRISSON.
lib. 5. de formul. in princ. RITTERSHVS. ad legg. XII. tabular.
P. 3. Class. 3. cap. I. Tac. GOTHOFRED. in not. ad fragm.
XII. Tabular. Tab. 1. Horat. lib. 1. sat. 9. in fin. Huic vocatio-
ni ex lege XII Tabularum reus confestim obediens esse aut
satisdare iubebatur, sin secus repugnantem obtorto collo ad
Prætozem rapere permissum erat. Id vero licet negatum
fuerit a Bachouio, nec non a Gundlingio in *Dissertatione* de
commento violentæ in ius vocationis inserta *Gundlingianis*
Obs. 2. P. XXV. contendentibus, violentæ in ius
vocationi neque apud Athenienses, neque apud Romanos
locum fuisse in causis ciuilibus, tamen respondet sententiæ,
quod nempe permissum fuerit repugnantem obtorto collo
in iudicium trahere, locus apud Horatium I, Sat. 9. in f.
in verbis:

— — casu venit obuius illi
Aduersarius: & quo tu, turpissime? magna

A 2

Excla-

*Exclamat voce; & licet antestari? ego vero
Oppono auriculam, rapit in ius: clamor utrinque
Undique concursus: sic me seruauit Apollo.*

dum hic nec fur nec leno in iudicium trahitur, sed desertor vadium in causa ciuili. Lex deinde XII Tabularum, cum ire detrectantem capi & fugam molienti manus iniici finit, non delicti reum designat, sed ad obligationes non minus ex contractu, quam ex delicto, pertinet. Cur denique in l. 18. & 21. ff. de in ius vocat. domus unicuique tutissimum praesidium & receptaculum diceretur, ex qua nemo extrahi debeat, si in ius vocatio sine vi facta fuisset? Civibus honestis, lex consulit verbis: NI IT; honestiores enim in ius vocantem sequebantur, aut fideiussores iudicio sistendi causa dabant, atque sic vitabant omne id, quod turpe in manuum iniiectione videri poterat.

§. IV.

Quomodo repugnantes in iudicium trahebantur?

Actor reum repugnantem obtorto collo ad Praetorem rapere poterat lege permittente, dummodo actor antequam reo manus iniiceret, adstantes sibi fecisset eius rei testes, quo pateret, reum sequi nolentem ab actore in iudicium trahi, non contumeliae, sed juris experiundi causa, testes autem

5
autem cum faceret, eos ita interrogabat, *licet antefari?* ac si per eos liceret admotis digitis imam eius vellicabat auriculam, quæ etiam *oricilla* dicitur, adiecto verbo *memento*, siue *memor esto!* quo eius rei recordarentur. Aures enim veteres memoriæ dicarunt, vt alias partes corporis aliis facultatibus, veluti dexteram fidei, genua misericordiæ, frontem genio & sic porro. Hinc VIRGILIUS in *Buccol.*

— — *Cynthius aurem*
Vellit & admonuit.

SENECA *cap. 36. lib. 4. de benif. lib. 5. cap. 3.* Antestatio vero nihil aliud in se continet, nisi hoc, vt adstantes proximi, testes fiant; aures enim circumstantium tangebantur, ad quem morem spectat præcipue TREBATIUS in *lege 21. pr. D. de furtis.* De antestatione vberime dixit, OTTO in *iurisprudentia symbolica l. II. c. 3.* SALMASIUS ad *ius Attic. & Rom. pag. 110.* Antestatione peracta vero sequebatur manus iniectio, vt referunt veteres comediæ Plauti & Terentii. Si intestato manus iniecta fuisset, actio iniuriarum locum habebat. Huc pertinent verba PLAVTI in *Persa scen. 9.*

Sa. Age; ambula in ius leno

Do. Quid me in ius vocas?

Sa. Illic apud Prætorem dicam, sed ego in ius voco

A 3

Do.

Do. Nonne antestaris?

Sa. Tuae ego causa carnifex!

Cuiquam mortali libero aures atteram?

§. X.

De limitatione in ius vocationis.

Quum vero hac in ius vocatio & priuata auctoritate & aliquando violenta coactione fieret, Praetor succedente tempore quasdam personas vel plane prohibuit in ius vocare, vel nullo alio modo, nisi venia ante impetrata. Nemo in ius vocare poterat neque Consulem, neque Praefectum, neque Proconsulem, neque ceteros Magistratus, qui imperium habebant & coercere aliquem poterant & iubere in carcerem duci. Ob delicta vero durante Magistratu, & eius occasione commissa, si forte venalem fuisse de iure sententiam, poenam vel pretio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam, si denique quacunque de causa improbum iudicem quis approbare potuerit, etiam durante administratione eius hac deferre non prohibetur. *l. 4. Cod. ad leg. Iul. repetundar.* Cum vero hodie officia muneraque publica sunt perpetua neque temporaria, vt apud Romanos, vbi per annum solummodo durabant, extra omnem dubitationem res posita est, vt Magistratus adhuc durante officio in ius vocari possint. Porro nemo poterat in ius vocare nec Pontificem, dum sacra instituit,



stituit, nec eos, qui propter loci religionem inde se mo-
uere non possunt; sed nec eum, qui equo publico in causa
publica transuehebatur. Præterea in ius vocari non debe-
bat, qui vxorem duceret, aut eam, quæ nuberet, nec iu-
dicem, dum de re cognosceret, nec dum quis apud Præ-
torem causam ageret, huic vero non obstat *l. 54. §. 1. ff. de
re indicata*, quippe quæ vel tantum de lite apud Præto-
rem inchoata & pendente intelligenda est, vel etiam si accipia-
tur de eo, qui causam agebat, non asserit iure tunc tempo-
ris factam esse in ius vocationem, sed tantum excusat, a
contumaciæ pœnis eum, qui, apud inferiorem iudicem li-
tem habens, inchoatam eam deinde deserit, quia ad maius
auditorium vocatus est, cum peccasse non videtur, qui dum
vtrique vacare nequit, vni auditorio & quidem maiori va-
cat. *l. 3. §. 4. ff. de SC. Syllaniano & Claudiano*. Porro
nemo in ius vocare poterat funus ducentem familiare, iu-
staue mortuo facientem, vel qui cadauer prosequuntur, id
est: funus comitantur. Nihil vero impedit, quo minus
quis in ius vocetur, dum ad locum alium funeris ducendi
causa vel vxoris ducendæ gratia venit, vel inde redit, adeo-
que vel ante vel post solennem actum in nuptiis ac funeri-
bus fieri potest. Nullo modo quoque vocari poterant fu-
riosi aut infantes, *l. 4. ff. de in ius vocat.* sed magis tutores
ac curatores eorum, reliqui ætate minores non aliter, nisi
tuto-

tutoris aut curatoris auctoritate muniti *l. 2. Cod. qui legit. pers. standi in indic.* Illis deficientibus, actor oblato libello petere potest, ut illis a magistratu competente curator constituitur, qui minoribus ipsis litem suscipientibus adsistat. *§. 2. l. de curat. l. 7. Cod. qui pet. tut. l. 7. §. 2. ff. de minor. XXV annis.*

Venia autem impetrata a Prætoribus in ius vocari poterant: parentes utriusque sexus etiam naturales & adoptiui, patroni, eorumque parentes, uxores, liberi & heredes, impuberes puella, quæ alieno iuri subiectæ sunt, secundum *leg. 22. ff. de in ius voc.* & ratione priorum latius rem explicat *ULPIANVS in l. 10. ff. de in ius voc.* & in *l. 4. eod.*

§. VI.

Continuatio.

Quodsi vero in ius vocatus confestim ire non cupiebat, aut forte negotiis impediatur, actor ei diem dicebat illeque cauere debebat se condicto die venturum esse. Olim vades dabat prædesque reus. Vnde vox vadimonii frequenter occurrit, itemque locutiones: *vadari* aliquem i. e. vadimonio aliquem adstringere einen zwingen, daß er Bürgen stelle, *vadimonium obire, deserere, differre*, quod iudicis erat. Porro matronarum pudori ac reuerentiæ tribuebat,

tur, VALER. MAX. *lib. 2.* vt in ius vocatas attingere nefas esset. Deinde quoque oratione Diui Marci cautum fuit, ne messium & vindemiarum tempore occupati circa rem rusticam in forum compellantur. *l. 1. ff. de feriis.* Quæ quidem exceptiones post conditas XII Tabulas prodierunt, id vero ex ipsi tabulis proficiscitur, quod is, qui morbo non tamen adeo graui laborat, vt sensus confundat, iuncto, non vero moliter instrato, vehiculo in iudicium venire deberet. Verba legis duodecim Tabularum sunt: *Si morbus atasue vicium escit, qui in ius vocabit, iumentum dato, si nolet, arceram no sternito.* Iumentum a veteribus vectabulum dictum, quod adiunctis pecoribus trahebatur. Arceram autem describit GELLIVS *Lib. 20. c. 1. n. 25. sequ.* fuisse plaustrum tectum ab omnibus partibus, & mœnitum quasi, arca quædam magna, vestimentis instructa, qua nimis ægri aut senes portari cœbantes solebant. SCHEFFERVVS *de re vehicularia lib. 1. c. 18.*

§. VII.

De actione aduersus eum, qui vi iniusta aliquem exemerat.

Vi eximere hoc loco denotat violenter aliquem eripere, retinere, vel moram facere, quo minus in ius veniat. Illicitum vero est impedire Iurisdictionem Magistratum,

B

&

& obedientes impedire, hinc ob hanc exemptionem datur actio in factum, quæ est actio prætoriam pœnalis, competens illis, qui alios legitime in ius vocarunt, aduersus eos, qui vocatos vi iniusta exemerunt, ad id, quanti ea res, de qua est controuersia, ab actore est æstimata *l. 5. §. 1. ff. ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat.* Vis vero iniusta adesse debet, nam qui iusta causa permotus siue lege permittente aliquem vi exemit, contra illum hæc actio non concedebatur, e. g. si vocata fuerit persona, quæ vocari non poterat. Hæc æstimatio autem fit sine iuramento, non exclusio tamen iudicis arbitrio, quia etiam calumnioso litigatori in odium violentiæ hæc actio conceditur. *cit. l. 5.*

S. VIII.

Vetus in ius vocatio euannit tempore Iustiniani.

Iam sub Constantinopolitanis Imperatoribus rei euocabantur priuata quidem adhuc auctoritate & ad solius actoris iussum, attamen per adparitores. *HVER in prælect. ad ff. de ius vocando n. 1. §. 24. l. de Act.* IUSTINIANVS deinde sanxit, actor vt libellum suum ad acta offerret, is per adparitorem ad reum mittebatur, cui reus subscribere debebat. Hac subscriptione facta fatebatur, se libellum eo die accepisse, simulque solatis executori sportulis de iudicio facti cauebat, tunc quoque actor vt cautionem præstaret, necesse

neceſſe erat, vt litem intra duorum menſium interuallum a tempore exhibiti libelli ſub pœna dupli conteſtari & in hoc iudicio ad ſinem vsque huius litis permanere, nec non decimam ſummæ partem libello comprehenſæ impenſarum nomine aduerſario ſoluere vellet, in hunc caſum, ſi ſe litem temere mouiſſe iudicaretur. Quibus factis ſpatium viginti dierum reo concedebatur a momento oblato libelli computandum, ad deliberandum, vtrum cedere an contendere malit. *Nov. LIII. cap. 3. XCVI. CXII. cap. 2.* Et ſic in ius vocatio facta eſt citationis ſpecies, dum non amplius actoris, ſed iudicis eſſet actus, & eadem, quæ olim citatio.

§. IX.

An in ius vocatio hodie uſum habeat?

Hinc moribus noſtris hæc antiqua in ius vocatio, & quæ de ea antea expoſuimus, vix uſum habent. Nam in ius vocatio ſeu citatio non amplius ſit priuata, ſed publica auctoritate. Saltem in regula. Nam alicubi e, g, apud Wurſatos hodiernum in Germania in ius vocationem priuatam per ſamulos proprios obtinere auctor eſt PVFFENDORFF. *P. III. Obſeru. 85.* quod inſtar exceptionis ſe habet. Hinc etiam ceſſante in ius vocatione priuata, actio in factum contra eximientes vix locum habet, licet vis adhibita vtiq; puniatur, & puniri poſſit. Præterea venia in iudicium vocandi ali-

B 2

quem

quem plane est inutilis, quia nemo auctoritate priuata in iudicium vocatur, verum iudicis iussu citatur. Hoc tamen hodie requiritur, vt in supplicatione pro decernenda citatione accuratius exprimaturs obligationis vinculum inter actorem & reum, quo iudex possit decernere, vtrum citatio sit decernenda, an actor statim a limine iudicii sit repellendus, tunc omni modestia est persequendum. Sed nunc quoque ex consilii mei ratione de hodierna citatione eiusque diuersis modis & diuisionibus, & quid circa eas in foris nostris obtineat, erit agendum.

CAP. II.

DE CITATIONE HODIERNA EIVSQVE DIVERSIS SPECIEBUS,

§. I.

Definitio citationis eiusque requisita.

Citatio est actus iudicialis, quo reus auctoritate iudicis, petente actore, suscipiendae & dirimendae causa in loco iudicii ad diem certum, legitime comparere iubetur. STRVV. *Synr. I. C. exerc. 5. thes. 3.* Illa est necessaria & tanquam fundamentum atque basis cuiusuis iudicii, & sine manifesta inanitate totius processus omitti haud potest. *Proe. Ord. Sax. tit. von der Citat. in pr. HAHN ad Wesenber. tit. de in ius vocando n. 12. §. vlt. 1. de pænis rem. litigant.*
Decer-

Decernitur a iudice competente, cui reus subiectus est, non vero ab incompetente. Citatio enim a iudice incompetente emissa non obstringit nec tenet quem, se in iudicio sistere, si incompetencia certa nullique dubitationi sit exposita. Melius rectiusque vero est, citatus si comparet, & tunc iudicis incompetenciam allegat; qua de re deinde iudex, qui citationem emisit, ipse cognoscit. *l. 5. ff. de iudic.* Citatio itaque legitime concepta & emissa esse debet, ubi requiritur: a) ut pramittatur nomen iudicis vel eius officii STRYCK. *introduc. ad prax. for. c. 4. l. 13.* b) nomen citandi, contra innominatum in processu nihil decerni potest. cf. BRVNNEMANN *in proc. c. 3. n. 6.* MEV. *p. I. decis. 256. n. 1.* — c) Deinde exprimendum est nomen citationis impetrantis, ut, an ad instantiam partis citatio fuerit decreta, cognosci queat. GAIL. *obs. 50.* — d) Porro locus fori, nisi iam satis sit cognitus, is vero tutus atque honestus esse debet. CARPZOV. *in proc. tit. 7. artic. 2. n. 38.* GAIL. *observ. 52.* — e) Dies quoque & terminus comparandi in iudicio est adiiciendus, secundum cuiusvis consuetudinem usumque fori. Terminus autem debet esse, a) iuridicus, alias opponitur exceptio feriarum. GAIL. *l. c. 3)* congruus, ne obstet exceptio termini nimis angusti. Hora vero non exprimitur, sed tantum dicitur tempore matutino, vel secundum illam in foro usitatam formulam antiquam: *zur rechter*

frueher Tageszeit. Quæ forma dicendi proficiscitur ex more Germanorum veterum, lites sole oriente agitandi & componendi. Qua de causa etiam apud eos dies iudicarii soles siue *Sollatja* *TageSatzung* dicebantur, & spatia citationum computabantur secundum noctes, a quatuordecim noctibus ad quatuordecim vsque noctes, propterea, quia citati tempore nocturno in locum venire tenebantur, vt confestim sole oriente se in iudicio sistere possent. Hodie illa formula alium significatum habet & item ac *sempestive* notat, vt proin citatus sub hac formula citationi satisfaciat, si ante quam iudicium finitur, comparet, quod post meridiem multis in locis durat & continuatur. Porro f) tunc in citatione adiectum esse debet, causa citationis & quid citato faciendum sit in iudicio.

§. II.

Divisio citationis ratione modi in realem & verbalem.

Realis citatio cernitur in personæ apprehensione, & habet secundum regulam in causis criminalibus locum, ob & delictorum & indiciorum gravitatem, quæ sunt istius modi delicta, pœnam corporis afflictivam merentia, & legitima indicia alicui aduersantia. Alia res est nimirum in delictis lenioribus, ne medium detinendi gravius sit ipsa pœna,

poena, nisi reo bona immobilia desint, & de fuga ille suspectus reperiatur. In hoc casu realiter potest citari, ne iudicium eludatur. Contra regulam vero aliquando locum habet in causis ciuilibus, nimirum ob fugæ suspicionem. *l. 10. §. 16. ff. que in fraud. Cred. l. 1. Cod. de execut. rei iudic. vel contumaciæ causa. l. 8. C. quomodo & quando iud.* item vi specialis consuetudinis siue legis v. c. in causis cambialibus. Quæ vero realis citatio, re ipsa non est citatio, apprehensio enim personæ tantummodo est medium, ne citatio fiat sine fructu, v. c. in vagabundis vno temporis momento] citatio & apprehensio peragitur. Verbalis autem citatio vel apparitoris vel alius personæ viva voce fit, præsertim in causis summaris, vel per literas; hinc exoritur subdiuisio in oralem & litteralem citationem. Huic scriptæ citationi recte adiungitur tenor siue copia libelli. *Ord. Proc. Sax. Tit. IV.* und damit der Citatus jedesmal, wozu er eigentlich vorgeladen sey, wissen möge. *Rec. Imp. d. an. 1652. §. 32.* ne actori opponatur exceptio non communicati libelli, sic enim liti impedimenta iniicerentur, quominus faciliori modo progrediatur. Ex iusta tamen causa omitti potest quandoque in citatione, descriptio siue narratio causæ, v. c. si metuendum sit, reus ad negandum vt se præparet, fugamue arripiat comperta re. Sicuti etiam in Saxoniam Electorali iniurianti ad summariam responsum citato

citato copia denunciationis non communicatur, sed in genere solum citato manifestatur: daß die Citation geflagter Injurien halber ergehe per Ordinat. de 1721. confer. WERNHER p. V. Obs. 122.

§. III.

Divisio citationis in publicam & priuatam.

Rursus citatio dispescitur in publicam & priuatam. Priuata fit vel a) si citatio citando aut in scriptis insinuat, aut verbis denunciatur; b) vel ad domum, si citatio traditur eiusmodi personis, quæ ad familiam citandi pertinent, siue eius domesticis, v. c. coniugibus, parentibus, liberis modo sint perfectæ ætatis, cf. *Ord. Proc. Sax. Tit. IV. §. 2. & in domicili loco versentur, cum iussu eam citando insinuandi.* Reo verum vel domesticis citationem recipere nolentibus, citatio in domo, præsentibus vno pluribusue domesticis aut aduocatis vno pluribusue vicinis est deponenda vel etiam affigenda. BERG. *E. D. F. Tit. IV. obs. 2. n. 5. p. 72.* WERNHER. *sch. obs. forens. p. 6. obs. 284. Ord. Proc. Sax. Rec. l. c.* Si vero reus eiusmodi subsecuta citatione in iudicio non comparuit, ei ad declinandam contumaciæ pœnam iuramentum præstandum imponitur, citationem a domesticis suis non esse sibi traditam. Cum vero hactenus iam disserui de citationis insinuan-

sinuandæ diuersitate, hoc loco eoque non inepto pro con-
 filio meo, vt diuersos casus nonnullos attingam, necesse
 puto. α) Citatio in rei tabernam (Kramladen) insinuari
 potest. BERGER. *E. D. F. Tit. IV. obs. 2. n. 3. p. 67.* Pla-
 ne haud sufficere citationem fieri ad tabernam citandi, qui
 ædes alibi sitas inhabitat, tradit RIVIN. *ad O. P. S. Tit. IV.*
enunc. 20. β) Si filius separatam œconomiam nondum in-
 stituit, ad domum patris insinuatam esse citationem, sufficit.
 RIVIN. *ad O. P. S. Tit. IV. enunc. 21. γ)* Si citandus ex
 prædio nobili seruus est, non sufficit insinuationem esse fa-
 ctam illi, qui curam rei domesticæ ibidem gerit (dem Haus-
 verwalter) RIVIN. *l. c. enunc. 38. δ)* Hæc citationis insinua-
 tio est inualida, quæ locatori, conductori vel colono facta, quia
 illi sub personis domesticis non intelliguntur. *Ord. Proc. Sax.*
Rec. Tit. IV. §. 2. WERNHER. sel. obs. forens. p. 6. obs. 435.
 RIVIN. *l. c. enunc. 1. BERGER. Tit. IV. obs. 2. n. 3. p. 70. ε)*
 Nec minus citatio fieri potest in fundum, quamuis reus eun-
 dem non inhabitet omni tempore, seu extra fines patriæ
 suæ domicilium suum habeat, sed per œconomum (durch
 einen Verwalter) tamen possideat. BERGER. *cis. loc. ζ)*
 Porro in fundum recte insinuatur citatio, in actione reali,
 etiamsi iudex personæ ordinarius in subsidium haud fuerit
 requisitus; si modo domesticis fiat insinuatio. RIVIN. *l. c.*
en. 29. BERGER. E. D. F. Tit. IV. obs. 2. not. 3. p. 69. Ci-

C

tatio-

tationem esse insinuatam, non tantum ad acta simpliciter referri debet, sed recte definiendum est tempus locusque. *Ord. Proc. Sax. Tit. IV. §. I.* Alias citatus pro contumace haberi nequit, WERNHER. *fel. obs. for. p. 5. obs. 110.* etsi fateatur citationem se accepisse. WERNHER. *fel. obs. forens. p. 5. obs. 233.* Hæc de priuata citatione eiusque insinuatione. Nunc ut nonnulla quoque de publica citatione disseram, meum esse puto.

§. III.

Continuatio.

Publica citatio suscipitur nimirum, vel per α) Praeconem vel β) per edictum publicum. Hæc necessaria est, priuata si non potest sortiri effectum, *Resol. GRAY. d. an. 1683. tit. 57. Von Just. Sach.* WERNHER. *fel. obs. forens. in supplem. nov. ad P. 3. obs. 192. v. c.* Si vel ignoretur ubi citandus domicilium suum habeat, vel factio siue eius siue magistratus sub quo degit, impediatur, quo minus citatio priuata ad eum peruenire queat. CARPZOV. *p. l. c. 2. decis. 18.* BERGER. *E. D. F. Tit. IV. obs. 2. n. 7. p. 72.* Item si incerti sint citandi, GAIL. *lib. I. obs. 57. n. 6.* Ibi que GRAEV. *conclus. 57. n. 13.* CARZOV. *proc. tit. 7. art. 4. n. 20.*

Si

Si constat, quo loco citandus degat, ipsi insinuari debet citatio, edictali vero locus non est, CARPZOV. *proc. tit. 7. art. 4. n. 2 3.* BERGER. *p. 2. supplem. ad E. D. 1. p. 1716.* WERNHER. *fel. obs. forens. p. 2. obs. 350.* Hæc publica siue edictalis citatio etiam extraordinaria vocatur, licet pluribus aliis modis citatio extraordinaria dicatur e, g, ratione comparitionis in iudicio, si quis sic euocatur, in propria persona coram iudicio vt compareat, qua *personalis* vocatur, id accidit plerumque in causis criminalibus; item in matrimonialibus saltim in primo termino. In causis ciuilibus in regula vnicuique citato per procuratorem comparendi competit facultas, adeoque iudici regulariter non licet personalem comparitionem in his causis pecuniariis iniungere, *l. 26. C. de procurat.* nisi grauis eum permoueat ratio a iure communi recedendi, quæ in citatione exprimenda est. Et MYNSINGER. *Centur. III. Obs. 4.* monet, si forte actor allegatione grauis causæ a iudice citationem ad personaliter comparendum impetrauerit, tunc eundem actorem similiter personaliter se sistere debere. Itero ratione modi citandi sit extraordinaria, si iudex citans alterius iudicis ope, in cuius territorio iam degit citandus, indiget. Exin oritur diuisio citationis in *a) mediatam*, etiam requisitoriam dictam, siue subsidiariam, & in *b) immediatam*, quæ versatur in eo, si iudex recta reum suæ iurisdictioni subiectum citare potest.

Hac subsidiaria citatione etiam Consistoria in Electoratu Saxoniae omittis vero verbis, *in subsidium*, quoties citandi subiecti sunt iurisdictioni Nobilis cuiusdam aut ciuitatis, vtuntur. CARPZOY. *Iur. Conf. lib. 3. def. 19.* Qui enim sub Praefectorum iurisdictione constituti sunt, immediate citantur a Consistoriis. Praeter Saxoniae Electoratum autem, Consistoria iure gaudent reum, in causis Consistorio subiectis immediate citandi, cum loco Principis iurisdictionem exercent. Cf. *Rescript. Reg. Elect. de an. 1703. d. 9. Febr. BERGER. Elect. proc. matrim. §. 14. BRVNNEMANN. ius eccles. l. 3. c. 2. §. 11.*

§. IV.

Quando edictalis citatio in causis ciuilibus praeter Concursum Creditorum etiam locum habere debet?

Citationem per edicta etiam in rebus ciuilibus praeter creditorum concursum, locum obtinere & triplicem terminum Saxonicum complecti, explorata res est, secundum ius Saxonicum Electorale. *Resol. GRAY. de an. 1661. Tit. von Justitiensachen §. 10.* Alias autem alio tempus in edictali citatione arbitrio iudicis committunt. *ROSBACH prov. civ. tit. 27. n. 4. LYDOVIC. Einleit. zum Concur Proc. c. 3. §. 10.* & pro locorum longinquitate ad quatuor etiam vel ad sex menses extendunt. *GAIL. lib. I. obs. 57. n. 11.* Verum citationem etiam in causis ciuilibus locum obtinere, dixi, & quidem

α) si

a) si emititur ob antiqua chirographa iam extincta, aut alias hypothecas, quae praediis equestribus aliisque inhaerent, sed ut res eo clarior fiat, verbis ipsius legis utar, quae continentur in *Mandat. Elector. de Citatione edituli in caus. civil. praeter concursum Creditorum d. d. Dresda d. 13. Nov. 1779.*

Es soll die Citatio in Civil Sachen ausser dem Concursu Creditorum, wenn solche zu Bewirkung der Cassation alter, in Schuld- und Pfand-Verschreibungen oder Eheliftungsgebuechrnisse ertheilter Consense, so auf Ritterguetern und andern Grundstuecken haften, gesucht wird, und der Besitzer eines solchen Feudi weder die erfolgte Tilgung der Schuld durch Production richtiger Quittungen, Ruecklieferung der Original-Verschreibungen und Consense, oder sonst darzuthun, noch die Inhabere nur gedachter Urkunden, oder deren Erben ausfindig zu machen vermag, gleichwohl aus dem Alter sothaner Urkunden genungsame Vermuthung entsteht, das solche entweder durch Zahlung getilget, oder durch eingetretene Verjaehrung erloschen sind. Es soll aber zu dieser Vermuthung hinlaenglich seyn, wenn eine Zeit von 44 Jahren verfloffen ist, welche 44 Jahre bei Schuld- und Pfandverschreibungen, worinnen eine Zahlungsfrist bestimmt ist, auf vorgaengig von dem Impetranten, nach Vorschrift der erkaeuterten Proceß-Ordnung ad Tit. XXVI. §. 2. abgelegten Eid, das er eine Quittung

tung oder Bescheinigung wegen nach Ablauf sothanen
 Termins weiter erfolgten Verzinsung des verſchriebenen
 Capitals, nicht habe, noch gefährlicher Weiſe von Hän-
 den kommen laſſen, auch nicht wiſſe, wo dergleichen ſonſt
 anzutreffen ſein möchte, von dieſem Zahlungstermin an;
 wenn aber die Wiedereinköfung des Unterpfandes, nur auf
 vorgangige Aufkündigung geſetzt worden, und der Im-
 petrant, die zuletzt ausgeſtellte Zinsquittung vor Erlaſſung
 derer Edictalien ediret, auch dabey, daß er eine neuere
 nicht ediren könne, mittelſt vormeldeten Eides beſtat-
 ket, von Zeit dieſer letzten Quittung, oder wenn der Im-
 petrant durch ſothanen Eid, daß gar keine Zinsquittung
 vorhanden, erhartet, von dato des Conſenſes oder der bey
 beſchiedenen Ceſſionen über Translation der Hypothec er-
 theilten Urkunde; bey Eheſtiftungen hingegen, vom 30.
 Tage nach Abſterben des Ehegatten an zu rechnen ſind. —
*β) Perro locus citationi edictali eſt in alienandis bonis iis-
 que immobilibus, hic eſt perſcrutandum, an tacite hypo-
 theca illis inhæreant, de quo in citato Mandato verba ſe-
 quentia leguntur:* Wenn bey Verauſſerung eines unbewe-
 glichen Gutes beſorgt wird, daß ſolches mit ſtillichweigen-
 den Hypotheken, oder anderen durch ſonſtige Subhastation
 erloſchenen Realanſprüchen, worunter alſo onera rea-
 lia oder ſeruitutes nicht zu verſtehen, behaftet ſey, dieje-
 nigen aber, welche dergleichen Anſprüche machen könn-
 ten,

ten, unbekannt sind, und der Besizzer des Gutes solches aus freier Hand mit völliger Sicherheit zu veräußern, und dem Käufer zu gewähren, dadurch behindert wird. γ) *Tertio quoque edictalis citatio emittenda est in hereditatibus*, de quibus sic scriptum legitur, in citato Mandato: Bey Verlassenschaften, wenn, a) ein Erbe solche cum Beneficio Inventarii angetreten oder b) zum Nachlaß eines Verstorbenen oder eines für tod zu achtenden Abwesenden, entweder gar Niemand oder gewisse Anverwandten, als Erben sich gemeldet, und ob selbige, die nächsten oder alleinigen Erben dazu sind, oder der Abwesende etwa selbst Kinder hinterlassen, oder in der Seitenlinie mehrere, auch wohl nähere Blutsverwandten existiren möchten, ungewiß und unbekannt ist. δ) *Si heres substitutus sine eius descendentes in fideicommissio vniuersali aut particulari visa decesserint*, de quo verba legis iam allegata sunt sequentia: Daferne bey einem Fideicommissio vniuersali oder particulari der Heres substitutus, oder auch dessen Descendenten, mit Tode abgegangen, und, ob deren einige noch übrig seyn möchten, unbekannt oder ungewiß ist. *) *In causis feudalibus lex supra citata sic precipit*: Wenn bey Lehnportionen oder Lehns-Quantis, so nicht zu Lehn aufgetragen, sondern blos durch Vergleich unter Agnaten festgesetzt worden, einige weitere Theilhabere, daran nicht bekannt sind, und der letzte Percipient, deren Absterben gänzlich beyzubringen

gen

gen nicht vermög. *ξ) Edictalis citatio porro locum obtinet, ratione Depositorum iudicialium secundum sequentem legem his verbis expressam: Bey gerichtlichen Depositis, daferne entweder derjenige, welcher die Deposition, eines an das Depositum gemachten, jedoch nicht fortgesetzten Anspruchs halber veranlasset, nicht anzutreffen, oder verstorben, und dessen Erben nicht bekannt sind, oder der Anspruch entschieden, oder durch Verjährung, welche von der Zeit an, da das Depositum ohne Contradiction zur Verabfolgung bereit gelegen zu rechnen ist, erloschen, und diejenigen, denen solches Depositum zugehöret, ganz oder zum Theil unbekannt sind, und letztern Falls, der Legitimation halber, oder im erstern darüber: ob das Depositum als ein bonum vacans dem Fisco anheim gefallen? Zweifel entsteht. η) Denique edictalis citatio decernitur in pacto ad evitandum concursum cum cognitis creditoribus perfecto aut perficiendo, in securitatem paciscentium, incognitisque Creditoribus adhuc citandis, secundum legem, qua hoc modo præcipit: Wenn zu Beylegung einer Creditwessens und Abwendung des Concurses mit denen bekannten Gläubigern ein Abkommen und Regulativ getroffen worden, oder getroffen werden soll, und zur Richtigkeit des Paciscenten die öffentliche Vorladung derer unbekanntten Gläubigern annoch erforderlich ist.*

§. V.

Ordinatio citationis edictalis.

Ad modum, quomodo citationes edictales instruendae sunt, quod attinet: ipsæ, vt secundum *Ord. Proc. Sax. Rec. ad Tit. X. §. 2.* & secundum *Mandat. d. d. 11. Marz. 1755.* hoc modo conficiantur, necesse est. Quæuis citatio edictalis tres completos terminos Saxonicos complecti debet. BERGER. *p. 2. suppl. em. ad. E. D. F. p. 1721.* Deinde comminationem sub pœna præclusi, & iacturam reliquarum petitionum & amissionem beneficii restitutionis in integrum comprehendit. Reus autem absens, qui sub pœna confessi & conuicti edictali citatione vocatus est, & emanat, a pœna contumacia liberatur, si iuret citationem sibi haud innotuisse. WERNHER. *sel. obs. for. p. 8. obs. 470.* Nec non citationi edictali adiungenda est, significatio siue notificatio termini, ad publicandam sententiam aut decifum. Ipsa vero citatio edictalis intuitu bonorum feudalium in ciuitatibus arctioris & plenioris conuentus statuum (i. e. in dreien Stædten des engern und weitem Ausschusses) cf. *Resol. GRAV. d. an. 1661 Tit. von Justitien-Sachen §. 10.* RIVIN. *ad O. P. S. Tit. IV. enunc. 42. 43.* BARTH. *hodeg. forens. c. 3. §. 20. pag. 575.* BERGER. *E. D. F. Tit. 51. obs. 8. n. 3. p. 1729. seqq.* & in trium dominorum territorii ad allodialia bona quod attinet

D

emit-

emittenda est, in his etiam casibus sub lit. γ & δ . §. *antecedentis*, & præcipue in illis locis, in quibus probabiliter defunctus negotia gessit, vel eius heredes versari possunt. Terminos vero addictos iudex per Nouellas (Zeitungen) indicare, & ad acta referre debet. Si vero in termino publicationis impedimentorum quorundam causa, publicatio ipsa suscipi nequit, alius terminus publicationis per edictales citationes definiendus est, & sic more eoque consueto res peragenda est. Edictalem citationem in vno eodemque loco sufficere, putat GRAEV. *p. 1. conclus. 57. consid. 1. n. 3.* addit tamen ibidem *n. 4.* tutius esse, vt aliis etiam in locis affigi queat. Sed in trium Dominorum diuersis territoriis affigendam esse, vt verisimiliter ad citandi notitiam peruenire possit. docent. GAIL. *lib. 1. obs. 57.* WERNHER. *sel. obs. fer. p. 3. obs. 142 n. 4.* CARPZ. *proc. tit. 7. art. 4. num. 40.* vbi de generali consuetudine agitur. Ratione Vagabundorum porro edictales citationes in eo loco affigendæ sunt, vbi Vagabundi soliti sunt conuersari. CARPZOV. *proc. tit. 3. art. 1. n. 71.*

§. VI.

De citatione peremptoria & dilatoria.

Citatione & ordinaria & extraordinaria, quæ vocatur, tractata, nunc ad subdiuisionem dilatoriæ & peremptoriæ citationis, quæ exinde oritur, me accingam. Citatio dilatoria

ria

ria est, quæ expressam comparendi necessitatem non imponit, nec vltiorem dilationem denegat. *l. 53. §. 1. ff. de re iud. l. 63. l. 69. ff. de iud.* Hæc I. Rom. iuxta *Nov. 53. c. 3.* spatium viginti dierum comprehendebat, peremptoria vero spatium trium dilatarum. Et hæc præcisam iniungit comparitionem vnde nihilominus de causa cognoscitur, licet citatus non comparuerit *l. 70. & 71. ff. de iudic.* Dicitur peremptoria, quoniam perimit disceptationem, hoc est, vltra inobedientem esse non permittit. Verum tamen in voluntate iudicis positum est, vt vnâ tantum citationem emitat. Hæc vero tria spatia temporis citationis dilatarum, vt comprehendat, necesse est. *l. 53. §. 1. de re iud.* Hoc autem iudex simul adiungere, vt reus *peremptorie* sit citatus, vel eiusmodi verbis vti debet, eandem significationem habentibus, v. c. es soll nichts destoeweniger ergehen, was Rechtens ist. *l. 71. de iud. l. 2. Cod. eod. l. 8. Cod. quomodo & quando iud.* Hanc ob causam quoque in Recessu Imperii de anno 1654. §. 36. hæc citatio spatium sexaginta dierum continere debet, & in iudicio Camerae Imperii verbis sequentibus emititur: Hierum heischen und laden wir euch von Rœmisch-Kaiserlicher Macht auch Gerichts- und Rechtswegen, daß ihr auf den sechzigsten Tag den nächsten nach Ueberantwort. und Verkündigung dieses, deren wir euch zwanzig vor dem ersten, zwanzig vor dem andern, zwanzig vor dem

dem dritten, letzten und endlichen Rechtstag sezzen und bekennen peremptorie, oder ob derselbe kein Gerichtstag seyn würde, den nächsten Gerichtstag darnach selbst oder durch einen Gevollmächtigten Anwald an demselben Unsern Kayserlichen Kammer-Gericht erscheinet &c. Iure Germanico eiusmodi comminatio non necessaria fuit, si citatio hoc spatium complexa erat, quod requirebatur ad tres diuersas citationes. Tertia citatio nimirum semper erat peremptoria & quouis tempore citato terminus quatuordecim dierum constituebatur. Qua ratione quibusdam in locis v. c. in terris Hannoueranis, atque aliis, omnes ac singuli termini, tam ante, quam post litis contestationem, sine discrimine pro peremptoriis & praëjudicialibus censentur, & contumacia confestim accusari potest. In Cancellaria Guelferbytana autem nullus terminus peremptorius est, nisi citatio expresse, sub praëiudicio & peremptorie facta sit. PVEFENDORF. p. 2. c. 4. §. 2. In Saxonia Electorali requiritur, citatio, vt sub praëiudicio fiat. *Ord. Proc. Sax. Recogn. Tit. IV. §. 1.*

§. VII.

De citatione arctatoria & monitoria.

Citatio monitoria est, qua citatus ad comparandum non compellitur, sed tantum admonetur de actu in iudicio gerendo,
qui

qui citra comparitionem eius expediri potest. *Cap. 2. X. de Test. l. 19. Cod. eod.* Huc pertinet v. c. citatio ad videndum produci atque iurare testes, ad inrotulationem actorum & publicationem sententiae & eiusmodi alia. In hoc nimirum casu, in citati voluntate positum est, num in iudicio se sistere velit nec ne; nihilominus vero quoque in absentia citati hic actus, ad quem erat citatus, peragitur. *STRYCK. introd. ad prax. c. 4. §. 5.* Ab hac citatione monitoria autem differt, sola significatio siue notificatio termini, ein *Tag-Gedenkzettel. l. 1. §. 3. ff. de agnosc. & alend. lib.* quæ illi fit, ad cuius instantiam, citatio est emissa. *Appellat. Ord. de anno 1605. Tit. von Anbringung der Ladung §. desgleichen.* Nomen illius proficiscitur ab initio huius citationis: *zu gedenken.* Arrestatoria autem dicitur, quæ necessariam comparitionem iniungit, & subdividitur, in pœnalem, si quis comminatione i. e. sub pœna confessi & conuicti, liquidi, præclusi, vel sub multa pecuniaria euocatur, & non pœnalem, si quis nulla comminatione pœnæ citatur. Hæc arrestatoria citatio, requirit citati comparitionem, documenta igitur, non statim pro recognitis censentur, & sic quoque reus, haud confessum pro confessio & conuicto habetur, aut secundum ius commune lis pro negative contestata accipitur, sed illi post sub comminatione recognitio & responsio ad libellum demum imponitur. *Re-*

cess. Imper. d. an. 1654 §. 36. Kaiserl. L. G O P. 3. tit. 52.
 Vno verbo: citatio est vel monitoria vel arctatoria, & hæc
 rursus vel dilatoria vel peremptoria.

§. VIII.

De citatione generali & speciali.

Ordinaria citatio quoque a pragmaticis in generalem & specialem diuiditur. Citatio generalis dici potest, vel ratione iudicii, vel rerum, vel personarum. Ratione iudicii, citatio est generalis, si ad omnes iudicii actus & partes, per vnam tantum citationem semel pro semper Reus euocatur, hæc in iudiciis iisque amplis vsûm habet frequentiorcm vberioremq; vt in Camera Imperii cf. *BLVMII Proc. Cam. Imp. Tit. 65. n. 11.* Apud nos vero non amplius est in vsû. Ratione rerum autem, si quis ex causa multarum rerum administratarum, mandati, aut societatis omnium bonorum, similibumque vocetur, vtiq; si res cohæreant. Si quis enim alium in ius ob diuersas v. c. iniurias vocat, non speciali modo expressas, vel ob debitorum diuersitatem, nullis speciebus nominatis, sine dubitatione nulla lest citatio, quia reo non præstat deliberandi facultatem, quæ debetur ex *Auth. Offerat. Cod. de lit. contest.* Ratione personarum dicuntur citationes generales, si omnes alicuius
 causæ

causæ confortes, vel omnes, quorum interest, citantur, vel membra collegii aut incolæ alicuius loci non expressis singulorum nominibus. Si hæ citationes generales ita emittuntur, ut in notitiam omnium ac singulorum perferantur, illas reprobandi & effectu destituendi, causa esse non videtur, si omnibus ac singulis, inquam, heredibus cunctisque confortibus æquali modo insinuantur. Sed si per generalem citationem non omnes, ad quos ea res pertinet, certiores fiunt, hæ ignorantibus non videtur præiudicare, v. c. si quis heres ex beneficio inventarii impetret citationem per edictum, aduersus omnes creditores, non poterit obesse causam ignorantie habentibus, modo Creditores certi sint, nam incertis per Edictum citari posse supra diximus.

§. IX.

Varia in Saxonia vstata.

Tempore exclusus aliquot specialia de Citationem in Saxonia vstata hic colligere, & ad auctores, qui latius ea tractarunt, remittere constitui. Primum esto, quod in Saxonia Electorali insinuatio Citationis procuratori fieri non possit, nec post litem contestatam, nisi specialis clausula de

ca

ca recipienda mandato eius inserta sit, sed citationes in ipsam Principalem personam, etiamsi femina sit, dirigendæ, eisdemque insinuandæ sunt per Mandatum Dippoldiswaldense de 1691. confer. WERNHER *p. l. Obs. 231.* BERGER. *El. Disc. for. tit. 4. Observ. 2. n. 1.* quod etiam in Lusatia obtinet. Ceterum si Senatus oppidanus citandus est, insinuatio vel Consuli regenti, vel ad locum in Curia specialem, quo Senatores congregantur (in die Rathsstube), in pagis autem sculteto, non Syndico Vniuersitatis, fieri debet. RIVIN. *ad tit. 4. Enunc. 23. 24. Ord. Proc. Saxon. Rec. t. 4. §. 2.*

Porro obseruo, quod Commissarius Principis partes litigantes ac testes, sine iudicis inferioris requisitione citare possit, commissoriale tamen ordinario citandorum iudici communicare tenetur. WERNHER. *p. I. Observ. 233.* & RIVIN. *c. l. Enunc. 39.* idque ampliatur in Commissariis Regiminis Principis, vel alius curiæ supremæ, quæ vice Principis iudicat, modo per viam appellationis vel alias iure causâ ad illas deuoluta sit, & sic saluo beneficii primæ instantiæ, & modo non aliud vsu & consuetudine vel per priuilegium receptum sit, vti Citationes in Lusatia superiore non immediate a Cancellaria, quæ Dresdæ est, sed requisita Præfectura superiori, Oberamt zu Budislin, insinuari solent.

lent. BERGER. *El. Disc. for. t. 4. Obs. 4. pag. 78.* LUDOVICUS CIVIL PROC. t. 10. §. 14. Adhuc adnoto: Citationem in diebus feriatis insinuatam etiam in Saxoniam valere RIVIN. *ad Ord. proc. Sax. t. 4. Enunc. 51.* Sicuti etiam Citationem non vitiat, si die feriato decernatur ad diem non feriatum & iuridicum. Quia nempe actus citationis & citationis insinuatio ad actus iudiciales haud pertinet, sed extraiudicialis est, & domi fieri potest. GAILL. *L. I. Obs. 53. n. 5.* Contra citatio ad diem feriatum fieri non potest, nec stringit, sed citatus impune emanere potest, *l. 2. C. de feriis*, ex praxi Saxoniorum Collegiorum vero eatenus stringit, si citationi clausula expresse inserta sit, ut dies ille, ad quem citatio facta, non sit iuridicus, citatus die iuridico sequenti comparere debeat. WERNHER. *p. 1. Obs. 235. n. 3. 4.*

Denique allegare iuuabit, quod in Saxoniam non solum in causa civili, de quibus res manifesta est per *Ord. proc. Sax. t. 4. & Mandat. Elect. de 1760.* sed etiam in causa criminali, quoties reus sub poena confessi & conuicti citatur, eidem integer terminus Saxonius concedendus sit, WERNHER. *p. 1. Obs. 343.*

E

S. X.

De effectibus citationis.

Restat, vt de effectibus citationis legitime conceptæ & insinuatæ breuiter agam. Hi sunt potissimum, quod inducat præuentionem iurisdictionis & litis pendentiam *Clemens. 2. vs lite pendens. cap. 19. X. de foro compet.* porro: quod interrumpat præscriptionem, *l. 2. C. de annal. exc. l. 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* quo circa tamen monendum est, citationem ab incompetente iudice emissam hunc effectum non habere. WERNHER. *p. 1. Obseru. 232.* & citationem ad partis instantiam non emissam, sed forte a iudice motu proprio, similiter hoc effectum non gaudere. WERNHER. *p. 2. Obseru. 472.* Denique citatio rem litigiosam facit. Hac habui, quæ impræsentiarum de hac materia practica pro temporis & virium ratione proponere potui, vbi si forte quædam minus accurate proposita, vel omissa fuerint, Benev. Lector festinationi aliquid condonabit.

FINIS.






Erfurt, Diss., 1783-1801 I

X 238 6945





21

1787/13
Q. D. B. V.

11

**GENERALIA DE CITATIONE
IN TERRIS SAXONICIS
PRAECIPVE VSITATA**

SVB PRAESIDIO
PERANTIQUAE VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
RECTORIS

AC FACVLTATIS IVRIDICAE DECANI
Dn. CHRIST. FRID. IMMAN. SCHORCHII
MEMORATAE FACVLT. ASSESSORIS ET DECRETAL. PROFESSORIS
PVBL. ORDINAR.

P. 462.

PRO LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE
HONORES CAPESSENDI

HORIS CONSVETIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES GODOFREDVS AVSTER

ZITTAV. LVSAT. SVPER.

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI
DIE VIII. OCTOBR. MDCCLXXXVII.

ERFORDIAE
LITERIS NONNIANIS.

